

gandum est tunc Sacramentum esse informe; attritio enim sufficit pro assequendo effectu Sacramenti.

Si autem nec vera attritio sit, negandum est, iuxta modo dicta, Sacramentum posse esse validum et tamen informe; in hypothesi praesertim quod actus poenitentis non sint tantum dispositio sed pars essentialis Sacramenti. Itaque vel erit vera attritio, et existentibus aliis elementis necessariis, quae supponuntur, habebitur quidem Sacramentum validum, sed simul statim etiam efficax: si desit autem vera attritio, deficiente parte vel dispositione essentiali Sacramenti, nullum Sacramentum erit.

VI. Suarez tamen D. XX. §. 5. cui consentit Lugus D. XIV. S. 6°. aliam excogitavit rationem, qua fieri posset, ut defectu doloris Sacramentum validum quidem esset, attamen informe. Nimirum hypothesis fiat quod quis duo vel plura habeat peccata specie diversa, obliviscatur vero unius, eliciatque dolorem de altero ex motivo speciali ipsius: nempe detestetur peccatum ex consideratione turpitudinis propriae ipsius, puta fornicationis, quod motivum non se extendat ad aliud peccatum prorsus diversum puta furti. Huiusmodi poenitens peccati alterius oblitus confessionem facit formaliter integram, verum dolorem affert, absolutio ei confertur, habentur ergo omnia elementa essentialia Sacramenti: Sacramentum igitur existit. Actu tamen effectum suum non producit, quia non retractato per contritionem alio peccato, non est remotus integre obex gratiae: cum vero vel memoria occurrente illius peccati, illud poenitens detestabitur, vel eliciet actum doloris ex motivo universali, quod et illud quoque licet ignotum comprehendat, tunc removebitur obex et effectus Sacramenti obtinebitur.

Verum non satis liquet hunc casum possibilem esse. Nam quid sit de iis motivis particularibus doloris, certum est contritionem debere esse huiusmodi, ut contineat saltem virtualiter propositum universale non amplius peccandi, h. e. non solum non patrandi amplius peccata olim commissa, sed nulla peccata; et sic excludat voluntatem peccandi. Voluntas enim peccandi excludenda est ab ipsa attritione, ut monet ipse Suarez, cum de ea disputat et cum negat sufficere attritionem existimatam. Quocirca quaerimus: poenitens ille habet, an non, propositum universale? si non habet, deest vera contritio, scilicet pars essentialis Sacramenti, et nihil fit: si habet, necesse est ut habeat etiam odium ad omnia peccata, quod quidem et ad peccata admissa naturaliter se extendit: hoc autem odium sine aliquo motivo extendente se ad omnia peccata esse nequit: si autem est tale motivum, dolor eius non est tantum ex aliquo motivo speciali, q. e. d. Cf. tamen, quae his opponit Lugus l. c.

ARTICULUS II.

DE CONFESSIONE.

THESIS XXXIII.

Ex institutione Sacramenti Poenitentiae, quemadmodum eam universa Ecclesia semper merito intellexit, sequitur institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis ipsam iure divino necessariam existere (Trid. Syn. Sess. XIV. cp. 5).

I. Probavimus Th. X. necesse esse ut fideles peccatores pro obtinenda venia subiiciant se clavium potestati. Nunc declarandum est distincte, in quo posita sit haec subiectio, quinam nempe sit actus, quo debet poenitens se subiicere illi potestati. Porro hic est *Confessio*. Definitur confessio: *Accusatio suorum peccatorum, ad eorum veniam obtinendam, Sacerdoti potestatem habenti facta*. Confessio ergo non est historica narratio peccatorum, sed est accusatio, quae fit coram iudice, ut sententia aliqua ab eo feratur. De iis quae spectant ad modum huius accusationis disputabimus postea. Nunc eius iure divino necessitatem demonstramus. Oportet autem pro rei declaratione aliqua praemittere.

Quoniam de necessitate confessionis agitur, declaranda utraque res, *confessio et necessitas*. Confessio, ut quodcumque dici potest comprehendamus, tum actualis tum virtualis distinguitur. Confessio actualis est actus aliquis, quo quis peccata sua fatetur. Haec porro confessio multiplex esse potest. 1° Si quis fatetur se peccasse, nullo speciali peccato distincto, sed solum in genere: quae *confessio generalis* dici solet. Talis est quoque ille actus, quo quis vel per se vel per alium flagitat absolutionem sibi dari nempe a peccatis suis: eo ipso enim actualiter protestatur se peccasse. 2° Si quaedam, licet non omnia, quorum conscientiam habet, peccata fateatur, quae *confessio quadantenus distincta* appellatur. 3° Si quis omnia peccata, quorum conscientiam habet, quae nondum sibi sacramentaliter sunt remissa, fateatur; quae *confessio distincta* simpliciter dicitur. Iam confessio virtualis ex toto non est nisi voluntas confitendi. Confessio autem virtualis ex parte est quaedam confessio actualis sed non completa, adiunctam habens voluntatem vel praeparationem animi ad confessionem completam cum fieri possit. Sic prima potest esse virtualis prae secunda et tertia, tum secunda prae tertia. Porro notitia

peccatorum, quae requiritur pro exercenda potestate clavium in foro interno suppeditanda est ab ipso poenitente per confessionem.

Sane 1^o non nisi ipse testis esse potest idoneus suorum peccatorum coram Deo, in cuius foro absolvendus est vel ligandus; ad ea enim interior actus voluntatis requiritur prorsus et sufficit, qui per se occultus est, cum agitur de peccatis internis, neque ex toto et secundum propriam speciem dignosci certo potest, cum de peccatis quoque externis agitur. 2^o Institutio Christi postulat ut peccatores subiiciantur potestati clavium pro obtinenda reconciliatione, haec autem subiectio libera et spontanea esse debet: agitur enim de poenitente, cuius poenitentiae pars est haec subiectio; poenitentia vero debet esse ex corde: porro libera subiectio poenitentis in eo est sita quod se peccatorem fateatur ac absolutionem petat; obligatio autem fatendi se peccatorem infert obligationem fatendi se reum eorum peccatorum, quorum notitia necessaria est exercitio potestatis: ergo.

Quoad *necessitatem* haec praemonenda ducimus. Duplex est cognitio, quae necessaria in huius Sacramenti administratione censi potest, cognitio nimirum peccatorum et cognitio dispositionum, sive poenitentiae eius, qui absolvendus est. Quoad hanc alteram notitiam, quoniam remissio peccati iudicialiter profertur, et est beneficium quod nomine Dei dispensatur, Deus autem poenitentiam in reconciliando peccatore requirit, facile liquet quod absolute saltem nequit absolutionis sententia ferri sine aliqua notitia dispositionum poenitentis (cuiusmodi vero debeat esse haec notitia, id decernendum relinquimus theologis moralibus, ad quos proprie spectat). Sane potestas est, quae utrumque actum per se potest, alterutrum autem tantum singulis vicibus ponere potest, remittere nimirum vel retinere peccata; debet ergo esse ratio cur potius remittat quam retineat aut vicissim: haec autem ratio nequeunt esse tantum peccata, quia haec per se possunt omnia remitti omniaque retineri: restat ergo ut ratio petatur ex dispositionibus poenitentis, si sufficientes sint vel secus; nequit autem ex illis ratio peti exercitii potestatis, nisi cognoscantur: ergo. Diximus si *absolute* sententia absolutionis feratur: nam si hypothetice ferri ipsa potest, satis est quod dispositio debita poenitentis hypothetice supponatur.

II. Quaestio de necessitate confessionis non paucis obnoxia est difficultatibus sive circa rem ipsam sive circa eius demonstrationem a Tridentino allatam. Difficultates ita proponere licet. Tridentina Synodus Sess. XIV. cp. 5. necessitatem iure divino confessionis et quidem distinctae peccatorum colligit ex instituta divinitus potestate iudiciali solvendi et ligandi: iam vero si illud consequens ex hoc antecedente necessario sequitur, videtur quod illa potestas nequeat

ex divina institutione exerceri sine hac confessione; si enim posset, iam ex institutione illius potestatis non sequeretur necessario institutio confessionis: non est enim necessario nexum cum aliquo id sine quo illud esse potest. Porro manifestum est posse exerceri potestatem absolvendi sine confessione distincta in casu impossibilitatis, imo et sine ulla confessione, hypothetice saltem cum certis moribundis. Essentia ergo integra Sacramenti habetur etiam sine confessione saltem distincta, essentia autem rei eadem semper est: ergo ex essentia potestatis clavium nequit necessario colligi necessitas confessionis distinctae peccatorum: quod tamen facere videtur Tridentina Synodus.

An confessio est necessaria solum necessitate praecepti, ut tum urgeat eius obligatio cum fieri potest? At contra argumentatio Tridentini ostendit illam esse necessariam necessitate medii; arguit enim eius divinam institutionem tantum ex institutione medii. Et sane si esset tantum necessaria necessitate praecepti, cum heic et nunc faciendum esset satis huic praecepto et non posset fieri, puta in articulo mortis, cessaret prorsus eius obligatio: atqui constat confessionis obligationem manere post acceptam absolutionem, si ea potest fieri; ideoque ipsam necessariam esse vel in re vel in voto, quod proprium est eorum, quae sunt necessaria necessitate medii.

Praeterea necessitas confessionis colligi ex eo videtur quod potestas iudicialis absolvendi nequeat rite exerceri sine notitia; atqui notitia sufficiens ad huius potestatis exercitium videtur esse notitia dispositionum poenitentis seu eius poenitentiae: haec autem haberi potest sine distincta peccatorum confessione.

III. Quaeritur ergo an necessaria sit confessio, et qualis confessio sit necessaria, et quali necessitate. Quoniam necessitas confessionis probatur a Tridentino ex eo quod potestas instituta a Christo sit potestas praetoria et iudicialis, perpendere accurate oportet quid praestandum nobis sit. Volumus ex divinitus instituta potestate clavium demonstrare institutam fuisse divinitus confessionem distinctam peccatorum. Ut autem demonstretur institutio iure divino confessionis distinctae peccatorum ex instituta potestate clavium, non est opus eam demonstrationem afferre, qua ostendatur ex divina institutione non posse unquam exerceri eam potestatem sine confessione aliqua distincta; id enim nunquam Ecclesia docuit: sed satis est illam demonstrationem afferre, qua haec duo ostendantur: 1^o quod, cum fieri potest et quatenus fieri potest, confessio distincta necessaria est iure divino: 2^o quod, si heic et nunc confessio ea fieri non potest, obligatio manet eiusdem, cum fieri poterit, ideoque votum eius saltem requiritur. Satis esse haec demonstrare patet, quia huc redit quid-

quid catholici defendunt circa necessitatem confessionis, et quia, si id verum est, etiam verum erit Christum instituta potestate remittendi retinendique peccata instituisse quoque confessionem distinctam peccatorum. Perpende ergo quid demonstramus et quo argumento id demonstramus. Demonstramus necessitatem ex iure divino confessionis tum generatim tum specialim confessionis distinctae, cum fieri potest et quatenus fieri potest, eiusque voti necessitatem cum fieri nequit. Argumentum, quo id demonstramus, illud est quod petitur ex verbis institutionis Ioan. XX. atque ex Ecclesiae perpetua et universali eorundem interpretatione. Priore argumento defendimus scientifice hanc ipsam Ecclesiae interpretationem; quae tamen per se sola, prout est expressio catholicae Traditionis, vim habet ad Thesim demonstrandam.

Itaque spectentur verba Christi. Patet ex dictis (Th. IX. X. XI.), quae huc revocanda sunt, voluisse Christum ut omnia peccata fidelium ministerio clavium remitterentur, instituisse Christum Sacerdotes praesides et iudices potestate collata remittendi et retinendi peccata ac poenas iniungendi: patet quoque unum peccatum mortale sine alio, quod insit, non remitti a Deo. Iam vero ex his constat 1^o voluisse Christum ut, cum fieri potest, potestas haec exerceretur praecedente distincta confessione omnium peccatorum mortalium. Constat 2^o voluisse Christum ut, cum fieri nequit confessio distincta, eius saltem votum necessarium esset; et sic maneret obligatio libere admissa, sive explicite sive implicite, eiusdem postea faciendae, si fieri poterit.

Probatio primi. Christus profecto voluit potestatem a se institutam solvendi et ligandi in foro divino rite exerceri, secundum scilicet quod postulat eius natura; atqui cum potest haberi cognitio distincta causae, haud rite exercetur secundum rei naturam potestas solvendi et ligandi sine illa cognitione: ergo cum Christus voluerit omnia crimina mortalia iudicialiter remitti ac remitti simul, voluit ut, cum fieri potest, confessio distincta peccatorum omnium, quorum conscientia habetur, absolutionis sententiam praecedat. Maior certa est. Minor probatur. 1^o Quia talis conditio requiritur ab universo humano genere pro exercitio potestatis iudicialis, quae pro merito aut demerito alicuius, ipsum solvit aut ligat, ut illud ipsum cognoscat distincte, circa quod fertur: censendum est autem Deum, qui potestatem iudicalem instituit ab hominibus exercendam, voluisse eam esse conformem conceptui, quem omnes homines habent potestatis iudicialis: ergo. 2^o Quia potestas iudicialis, prout potest ligare et determinatas poenas imponere, prudenter exerceri nequit sine cognitione distincta criminum: cum ergo ea haberi potest, habenda est; idque Deum institu-

tione sua voluisse censendum est. Prout vero est potestas simul ferendi sententiam remissionis et retentionis, a) ea exerceri nequit sine aliqua saltem notitia peccati (quae, ut vidimus, a poenitente ipso suppeditanda est): cur enim fers in aliquem absolute sententiam alterutram, in quo nescis esse peccatum? b) sententia retentionis ex qualitate quoque criminis determinari potest, si e. g. res postulet ut prius aliqua poenitentia aut satisfactio praemittatur; ideo ut prudenter ea potestas exerceatur vel remittendo vel retinendo, notitia determinata criminis requiritur: c) cum peccata remittenda sint ea ipsa, pro quibus ius est decernendi determinatas poenas, etsi remittantur, hinc sponte consequitur sententiam absolutionis in crimina cognita ferendam esse. Etsi ergo Christus non dixerit quae peccata remiseritis, quae retinueritis (quod advertit Iahn loco infra citando), tamen sufficienter significavit circa ipsa peccata sententiam ferendam esse, ideoque haec esse aperienda. Igitur ut rite haec potestas clavium exerceatur, notitia distincta peccatorum exigitur, in quae ferenda est sententia: atqui, cum fieri potest, illud faciendum est, quod ad rectum exercitium potestatis exigitur: ergo ordinarie id faciendum est, nam ordinarie id fieri potest; censere enim non licet Christum voluisse ut ministri a se delegati pro arbitrio, absque ulla discretionem, potestatem istam exercerent. Itaque si quaeratur quomodo Christus voluerit ut ordinarie haec potestas exerceretur, respondendum est voluisse ut exerceretur cognita distincte causa, in quam sententia ferenda est; ordinarie enim haberi potest ea notitia.

Probatio secundi. Christus voluit omnia mortalia peccata fidelium directe remitti hac potestate, h. e. voluit remitti sententia iudiciali profecta ab hac potestate; est enim haec potestas iudicialis, idque voluit esse medium necessarium obtinendae remissionis peccatorum: haec est autem natura medii ut ordinarie quidem haberi possit, et cum habetur, eius usus realis necessarius sit; si quando vero praesto non est, eius votum requiratur, votum scilicet adhibendi illud eo modo, quo ordinarie adhiberi solet: est nimirum votum adhibendi illud medium, cum fieri poterit, ideoque adhibendi eo modo, quo adhibendum est cum potest reapse adhiberi. Cum ergo exercitium potestatis clavium sit medium necessarium pro remissione mortalium (Th. X.), hoc adhibendum est vel in re cum fieri potest, vel in voto cum reapse fieri nequit. Cum vero re adhiberi potest, necessaria est ex Christi institutione integra confessio; cum in voto habetur, habendum est votum adhibendi istud medium cum potest haberi et eo modo adhibendi, quo adhibendum est cum actu est in promptu: atqui hoc est votum confessionis distinctae omnium mortalium peccatorum; ergo.

Vide necessitatem confessionis non esse solum necessitatem praeepti; nam est nexa necessario cum institutione medii et est pars illius institutionis, ut proinde vel in re vel in voto sit necessaria. Quoniam vero confessio actus est, qui ab homine exigitur, nequit vero exigi ab eo, quod non est in eius potestate, integritas confessionis requisita est formalis non materialis, eorum nempe peccatorum, quorum conscientia habetur, ita tamen ut maneat obligatio peccata, quorum oblitus quis est, si in memoriam redeant, confitendi.

Cum igitur in contrarium obiicitur quod ista potestas potest aliquando exerceri sine ulla confessione, reponendum est 1° quod potest exerceri conditionate, non absolute: 2° quod votum saltem confessionis requiritur sive implicite sive explicite ut efficax sit absolutio.

IV. Ita re intellecta, facile, quae consequuntur, intelligi possunt. α) Nihil impedit quominus potestas a Deo delegata ad absolvendum coram Deo, possit in casu impossibilitatis exerceri cum sola notitia confusa vel confusissima mortalium peccatorum, quae subiicienda sunt clavium potestati, licet obligatio maneat singula, cum fieri poterit, peccata distincte confitendi.

Pro cuius intelligentia adverte 1° quod potestas absolvendi coram Deo differt in hoc ab alia quavis iudiciali potestate, quod fieri nequit ut qui ab illa immerito absolvitur, censeatur absolutus in eo foro, in quo absolvitur, h. e. in foro divino; Deus enim, qui intuetur cor, non habet ratam hanc absolutionem: quocirca error non infert effectum oppositum illi, qui exercitio potestatis intenditur.

Adverte 2° quod potestas clavium est ex institutione Dei principaliter ordinata ad absolvendum; est enim instituta in bonum fidelium, qui peccarunt, ita ut potestas retinendi et iniungendi poenas illi tanquam fini subordinentur.

Iam vero cum adsunt elementa essentialia exercitio potestatis alicuius, ea potest valide exerceri: atqui dato etiam nunc quod confessio spectet ad essentiam Sacramenti, existente tamen notitia quadam confusa vel confusissima peccatorum (simul cum notitia doloris, qui ea confessione manifestatur) habetur elementum, quod ex parte hominis absolvendi essentialia censi potest exercitio potestatis; est enim haec vere aliqua cognitio certa eius, in quod ferri potest potestas absolvendi et habetur vera subiectio poenitentis clavibus: hoc autem posito cum exercitium eius potestatis sit in bonum poenitentis, qui haec et nunc nihil aliud potest, iniquum est arbitrari Deum noluisse in hunc eam potestatem exerceri. Etsi vero obligatio maneat distinctae manifestationis peccatorum, id non impedit efficaciam latae absolutionis.

β) Imo nisi natura propria Sacramenti aliud requirat, potest per se et sine ulla notitia causae et dispositionis accepta a poenitente ferri *hypothetice* absolutionis sententia, ut nimirum ipsa reapse valeat existente vere ea hypothesi.

Dicimus *per se*, h. e. habita tantum ratione eorum, quae ex essentia sententiae iudicialis postulantur; licet ex aliis causis possit prohiberi hic modus exercendae potestatis iudicialis in foro humano, atque ita prohiberi ut etiam irritus actus reddatur. Diximus *nisi natura propria Sacramenti aliud requirat*: si enim Sacramentum exigit semper aliquos actus sensibiles poenitentis veluti materiam suam essentialiam, aliter dicendum fore videtur. Spectamur igitur tantum id quod ad iudicalem actum per se requiritur. Iam vero sententia absolutionis iudicialis est actus, qui pro merito alicuius ipsum solvit ab obligatione aliqua, seu ius aliquod confert; atqui actus obligationem inducens vel tollens, aut ius conferens vel aufereus, potest hypothetice poni si debita nempe conditio adsit, ita ut, vere illa existente, transeat actus quoad valorem suum in absolutum et sic efficax sit: ergo etsi pro absolute ferenda sententia absolutionis requiratur actu notitia causae et dispositionum poenitentis, pro eadem ferenda hypothetice sufficit quod supponatur conditio huiusmodi.

γ) Ex eo quod sententia iudicialis requirit cognitionem criminis in quod ferenda est, colligere quidem licet crimina non cognita non remitti iudicialiter, sed ut colligatur necessitas integrae manifestationis et quidem simultaneae omnium peccatorum, quorum conscientia habetur, necesse est praesupponere quod oporteat omnia peccata remitti iudicialiter, et quod unum peccatum sine alio non remittatur. Id per se satis est evidens absque ulla declaratione.

Hinc si quis ex lege divina haec et nunc dispensetur a manifestatione integra omnium criminum liceatque ipsi unum vel alterum tantum manifestare, locus est tunc et sententiae iudiciali quoad manifestata et effectui Sacramenti quoad omnia tum directe pro manifestatis tum indirecte pro aliis, quia gratia confertur, qua delentur omnia crimina. Gratia vero confertur; quia ille est rite dispositus ad absolutionem.

V. Ecclesiasticae traditionis sensus in hac re manifestus erit, si haec demonstramus: 1° factum constans confessionis distinctae peccatorum pro remissione obtinenda: 2° creditam fuisse hanc confessionem necessariam pro venia assequenda: 3° creditam fuisse necessariam vi ipsius institutionis potestatis clavium.

Iam vero quoad 1^{am} testificatione Patrum constat ab ipsa origine Ecclesiae exstitisse universalem praxim usus confitendi Sacerdoti pec-

cata omnia etiam occulta pro absolutione eorum obtinenda coram Deo. Testes universalis praxis confessionis Sacerdoti factae sunt *Irenaeus*, qui L. I. adversus haereses e. g. narrat mulieres quasdam corruptas a Marco mago et haeretico, seculo 2^o ad finem vergente, peccatorum suorum poenitentes, confessas esse in Ecclesia suas furtivas libidines et tempus omne trivisse in exomologesi: huius autem terminus erat remissio a Sacerdotibus impetrata: *Tertullianus*, qui (de Poenitentia c. 9.) loquens de secunda Poenitentia, quae post baptismum peragitur et proprie de Poenitentia publica, docet confessione poenitentiam nasci, et c. 10. reprehendit eos, qui pudoris magis memores quam salutis, verentur manifestare sua delicta, eaque volunt humanae notitiae subducere, quaerens, an melius sit damnatum latere, quam palam absolvi? *Cyprianus*, qui in lib. de lapsis, testatur eos quoque, qui facinus sacrificii aut libelli tantum cogitaverant, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter ac simpliciter confiteri, animique sui pondus exponere; iubetque ibid. « confiteantur singuli peccatum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est ». *Origenes* qui hom. II in Leviticum, catechumenos alloquens docet plures exstare in Ecclesia remissiones peccatorum, nempe baptismum, martyrium, eleemosynam, condonationem iniuriarum, curam in revocandis hominibus a peccato, abundantiam caritatis (quaedam ex his pro peccatis quotidianis valent ac disponunt ad remissionem gravium peccatorum; omniaque sunt enumerata, ut falsa opinio auditorum h. e. catechumenorum excluderetur, quibus videbantur plura esse remedia adversus peccata in vetere lege quam in nova); his porro addit: « est et septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum et fiunt ei lacrimae panes die ac nocte et cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam, secundum eum qui ait: pronuntiabo adversam me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem cordis mei. » Inter canones *Petri Alexandrini* relatos in Syntagmate Canonum Photii (Spicilegii Mai Tom. VII.) Tit. XIII. c. 23. loquens de occulto raptore ait: « deinde per confessionem peccatum suum Sacerdoti manifestans, nitens in contrarium, eleemosynas scilicet faciens, curabit infirmitatem ». *Lactantius*, qui Divinn. Instit. L. IV. c. ult. proponens notas quibus a falsis sectis vera Ecclesia discernitur, ait « illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio et poenitentia, quae peccata et vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat; » porro confessio et poenitentia, de qua *Lactantius*, non est ea quae fiat tantum coram Deo, hanc enim

et Novatiani adhibebant, sed quae fit coram Dei ministris, ut ab iis remissio obtineatur. *Basiliius* in regulis brevioribus (eius quidem esse negat *Combesisius*, at immerito: lege Praefationem Maurinorum ad Tom. 2. opp. Basili a §. XI. p. 4 seqq.) interrog. 288. quibus peccata sunt aperienda, respondet peccata illis esse confitenda, quibus credita est dispensatio mysteriorum. Cf. et interrog. 229. *S. Ephrem* in Paraenesi 10. ad Poenitentiam inquit: « vae illi qui peccata commisit et celavit, ne heic dedecus sustineret, ac propterea illic in die iudicii digito monstrabitur ac per ora hominum traducetur ». *Ambrosius* id primum ipsa praxi confirmavit; nam, ut refert *Paulinus* in eius vita n. 39, quotiescumque illi aliquis ad percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret, et causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines ». Ex quo *Paulini* testimonio liquet consuetudinem confitendi fuisse ea aetate communem. Idem *Ambrosius* De Poenit. I. II. c. 1. Non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque sua crimina prodat, sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas etc. et c. 6: « Si vis iustificari, fateri peccatum tuum: solvet enim criminum nexus veteranda confessio peccatorum »: cf. et c. seq. Et c. 10 adhortans peccatores ad publicam poenitentiam, pudorem ei proprium excutit advertens quod eos non pudet secreto homini confiteri. « An quisquam feret ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? et pudeat te Deo supplicare, quem non lateas, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri? » Cuiusmodi vero sit haec supplicatio et rogatio Deo exhibenda, explicat sequentibus: « Hoc ergo in Ecclesia in coetu fidelium facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad obsecrandum sanctae plebis requiras, ubi nihil est quod pudori esse debeat nisi non fateri, cum omnes simus peccatores? » Ubi vides confessionem aliquam peccatorum manifeste indicari. *Pacianus* in Paraenesi ad Poenitentiam c. 6. eos reprehendit « qui peccare non erubescunt et erubescunt confiteri, quos et sic alloquitur c. 8. « rogo vos fratres etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur ne in occultis quidem corporis partibus etiam secuturos etiam perusturos ». *Hilarius* quoque confessionis mentionem facit in Matth. XVIII. 8. « Immobile severitatis apostolicae iudicium praemisit, ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione videlicet veniae receperint in salutem, hi apostolicae con-